

Johann Ulrich Pregitzer


Panegyricus Honori Supremo Memoriaeq[ue] Immortali Serenissimi Principis Ac Domini, Domini Ludovici VI. Landgravii Hassiae ... : Principis Pii Magnanimi Sapientis ; Publica Autoritate Dictus In Illustri Collegio Die IX. Decembr. Anno Christi M DC LXXVIII.

Tubingae: Reisius, [1678]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832536954>

Druck Freier  Zugang






Oswald Weigel
Antiquariat & Auktions-Institut
Leipzig, Königsstr. 1.

1903
comp. l. coll. 50. 11.

2
im.

A215



{ Hessen }

R-1135

AK: 00 F.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Index Scriptorum in hoc Volumen
mine contentorum

- 1.) Johann = Augustinus Dorothea Au-
gustan Kunze = Augustin zu Hirschberg,
Hofmann Ludwig in zu Hirschberg
Hofmann, nuss. Hirschberg,
im Balt. Meisters Eisen = Ge-
dicht. 1863.
- 2.) Programma Tubingense cum Joh. Wör-
Reggeri nomine Academia Paucy-
rico in memoriam Ludovici VI. Land-
gravi Hassia Tubinga. 1878.
- 3.) Samuelis Andrea nomine Academia Mar-
purgensis Oratio Paucyrica in Carolum
Hassia Landgravium, cum Carmine
Academia Genethliaco. Marpurgi 1890
- 4.) Caroli Luca Paucyris in Carolum

1. Hassia Landgravium & ejus natalem quadragessimum quintum. Zintlii 1698.
- 5.) Jean Phil. Lau Panegyris in nuptias Frederici III. Landgraviatus Hassia heredis & Ludovicae Dorotheae Sophie Regiae Borussiae Principis. Berolini 1700.
- 6.) Ludov. Greg. Ditsch Panegyricus Funebris in memoriam Dorotheae Charlotte Hassia Landgraviae natae e Domo Caesaria. Giesse 1805.
- 7.) Erns. Ludov. de Gemmingen Panegyricus Ernesto Ludovico Landgravio Hassia dictus. Giesse Hassorum 1705.
- 8.) Elegie sur la mort de Louyse Dorothee Sophie Princesse Royale de Prusse Hereditaire de Hesse Cassele deesse à Cassele 18 Nov. 1705.

9.)

- 9.) Castrum Doloris Georgio Landgravio
Hassia in Expugnatione Barcelona
eiusdemq; Fortalitii Montis mortuo
prostitutum à Pusto Eberhard Pasfern
Darmstadii 1706.
- 10.) Christoph. Arnold de Voigt Oratio Pa-
negyrica Hassia juvenutis Princi-
pibus dictus, cum Programmate Aca-
demico & Carminibus Giesæ Hassorum
1707.
- 11.) Programma Giesense in nativitatam
Ludovici Hassia Principis. Giesæ
Hassorum 1720.
- 12.) Frid. Herm. Goll & Joh. ¹³Wic. Fune-
cii nomine Academia Pinfelienfis
Orationes Funebres Panegyrici in
memoriam Caroli I. Hassia Land-
gravii.

gravi cum Programmate Academico. 3. ^{Stück}
Hinfeln 1730.

14. 13.) Christoph. Frid. Sürmanni Votum Occasio-
ne Connubii Maximiliani & Friedericae Char-
lotte Principum Hassia 1720.

15. 14.) Ejusdem Luctus in funere Principis Her-
editaria Hasso-Darmstadina Data Comi-
tis & Heredis Hanovia. Giesse 1726.

16. 15.) Christiani Breithaupti nomine Acade-
mie Julia Gratulatio Solemnis in nuptias
Friederici Landgravii Hassia Principis;
cum Carmine Academiae Göttingensis
& alio Germanico 3. ^{Stück} Helmst.
1720.

PANEGYRICUS

HONORI SUPREMO MEMORIAEQ.
IMMORTALI

*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI*

LUDOVICI VI.

LANDGRAVII HASSIAE,
PRINCIPIS HERSFELDIAE, COMI-
TIS CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIGEN-
HAINAE, NIDDAE, SCHAUENBURGI,
YSENBURGI, BUDINGAE.

*PRINCIPIS PII MAGNANIMI
SAPIENTIS.*

Publica Autoritate

DICTUS

IN ILLUSTRICOLLEGIO

Die IX. Decembr. Anno CHRISTI

M DC LXXVIII.

à

Joanne Ulrico Pregizero, D. PP.

TUBINGÆ,

Typis JOH. HENRICI REISL.

1678

PAINES VARIANTS

HONORARY SOCIETY OF MEMBERS

MEMBERSHIP

MEMBERSHIP IN THE SOCIETY

OF THE SOCIETY

BUDDO VIGI VI

PRINCIPLES OF THE SOCIETY

THE SOCIETY OF THE SOCIETY

HONORARY SOCIETY OF MEMBERS

MEMBERSHIP

MEMBERSHIP IN THE SOCIETY

OF THE SOCIETY

Public Library

Books

IN THE SOCIETY OF THE SOCIETY

Public Library

Books

Johns Hopkins University

FOR THE SOCIETY

The Society of the Society

SERENISSIMO. PRINCIPI.

AC. DOMINO.

DOMINO.

EBERHARDO.
LUDOVICO.

DUCI. WIRTEMBERGIAE,
ET. TECCIAE. COMITI. MOM-
PELGARDIAE. DYNASTAE,
HEIDENHEMII.

AD. AVITUM. TERRARUM. REGIMEN.
INCREMENTUM. ET. GLORIAM. DOMUS.
WIRTEMBERGICAE.

DELICIUM. MATRIS. CIVIUMQUE.
SPEM. PATRIAE.

ORNAMENTUM. GERMANIAE.
EXSPECTATIONEM. SECVLI.

A. MAGNIS. DUCIBUS. ET. PRINCIPIBUS.
FELICITER. NATO.

ET. SUB. TUTELA. IN. QUAM. VENIT.
AD. MAGNA. QUAEVIS.

SUOQUE. NOMINE. ET. FORTUNA.
DIGNA. IN. ORBE.

MAJORUM. EXEMPO.

SOLLICITE. FORMANDO.

EDUCANDO. CRESCENTI.

PRINCIPI. AC. DOMINO. MEO.
CLEMENTISSIMO.

HANC.
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AVI.
MEMORIAM.

VIRTUTUM. LAUDUMQUE. PRINCIPALIUM.
IMAGINEM.

CEDRO. DIGNAM.
SERIS. POSTERIS. ET. NEPOTIBUS.
COMMENDANDAM.

EA. QUA. PAR. EST. REVERENTIA.

CUM. VOTO.

LONGIORIS. VITAE. AUSPICATI. PRINCIPATUS.
PERENNIS. SALUTIS.
AUREAEQUE. PACIS.

D. D. D.

SERENISSIMAE. EJUS. CELSITUDINI.

OMNI. CIVICA.

PIETATE. ET.

OBSEQUIO.

DEVOTISSIMUS.

JOANNES. ULRICUS. PREGIZER. D. PP.



EPHORUS

IN

ILLUSTRICOLLEGIO

JOANNES EBER-
HARDUS VARNBYLER

von Hemmingen.

LECTORI SALUTEM.



*Quæ ultra duo Secula toties jam his
Charitinarum terris, totique Serenissi-
mæ Domui Wirtembergicæ, ex proxi-
ma Cognatione, & Affinitate, variis
casibus utriusque fortuna sensum com-
munem fecit, Serenissima Domus Has-
sacia: Eatristia sua, ac moerorem haud simplicem bis ite-
rum hoc anno ex vicinia huc transmisit, ac divisit. Ex
quo enim Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus
LUDOVICUS VI. Landgravius Hassiæ, Princeps
Hersfeldiæ, Comes Cattimeliboci, Deziæ, Zigenhai-
næ, Niddæ, Schauenburgi, Ysenburgi, & Budingæ, diem
huius Anni XXVI. Aprilis supremum in hoc Orbe, &
mortalitate habuit, atque tam subitus, tamque tristis,
mortis huius nuncius Darmstadio Sturgardiam In Aulam
missus adventavit: consternata hæc, & perterrita, recen-
tes mox dolores suos, etiam ex hoc fato, assumpsit, & pullata
iterum moerorem confessa est. Ipsa primùm Serenissima*

A

Prin-

Princeps ac Domina, Domina *MAGDALENA*
SIBYLLA, Dux Wirtembergiæ, & Tecciæ, Comes
 Mompelgardiæ, Domina in Heidenheim, Nata Landgra-
 via Hassiæ, Princeps Hersfeldiæ, Comes Cattimelibo-
 ci, Deziæ, Ziegenhainæ, Niddæ, Schauenburgi, Ysen-
 burgi, & Budingæ, Princeps ac Domina nostra Clemen-
 tissima, *cum decimum intra mensem, Viduitatem suam,*
mortemque dilectissimi Mariti, Serenissimi Principis ac
 Domini, Domini *WILHELMILUDOVICI*,
 Ducis Wirtembergiæ, & Tecciæ, Comitis Mompelgar-
 diæ, Dynastæ in Heidenheim, Patriæ Patris, Principis ac
 Domini nostri quondam Clementissimi, *adhuc altè lu-*
geret, jam novo intra pectus vulnere saucia, quem post
Principem Maritum habuit charissimum, ac fidissimum,
maximum in adversis Solatium, rerumque suarum Pra-
sidium, Serenissimum Principem Parentem, *urgente &*
properante adeo velociter repetita fati inclementia, lachry-
mis nec dum abstersis desideravit. Quas etiam Principi
huic Avo, infantilibus lamentis mixtas, cum tenellis So-
roribus reddidisset, si per atatem orbitatis suæ, duplicis nunc
quoque, sensum ac iudicium capere potuisset, Bimula illa
Patriæ Spes, Flos Juventutis Wirtembergicæ in Regna-
trice Domo, Serenissimus Princeps ac Dominus, Do-
 minus, *EBERHARDUS LVDOVICVS*, Dux
 Wirtembergiæ, & Tecciæ, Comes Mompelgardiæ, Dy-
 nastæ in Heidenheim, Princeps ac Dominus noster Cle-
 mentissimus: *quem uti ex Fratre Nepotem, unâ cum*
Principe Matre, in Tutelam quoque suam recepit Sere-
nissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERI-
CVS CAROLVS, Dux Wirtembergiæ, & Tecciæ,
 Comes Mompelgardiæ, Dynastæ in Heidenheim, Ad-
 ministrator, & Tutor Supremus, Princeps ac Dominus
 noster Clementissimus: *ita Principis illius Cognati, Serenif-*
simi Landgravii, mortem ad se quoque, & Serenissimam
Domum Wirtembergicam, Patriamque hanc univer-
sam

sam pertinere, singulari jure, & propinquis adeo rationibus putans, ipse non tantum propterea luctum cum Aula induit: sed & talem confestum, eumque publicum, per totum hunc Ducatum, & Ditiones Wirtembergicas, cum justitiohilaritatis, & gaudiorum solennium indixit: atq; Pii Manibus, Æternæq; Memoræ Hassiacæ, inter gloriosos Serenissimi Principis Agnati Pupilli, EBERHARDI LUDOVICI, Majores, Avosque, Parentationem in hoc Illustri Collegio precepit, ac mandavit. Qui Actus jam longè institutus, sed ob varias remoras huc usque dilatus, ne nunc quidem celebrari potuit, quin altero, geminoque planè luctu augetur, & funestior redderetur. Postquam enim Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus LUDOVICVS VII. Landgravius Hassiæ, Princeps Hersfeldiæ, Comes Cattimeliboci, Deziæ, Zigenhainæ, Niddæ, Schauenburgi, Ysenburgi, & Budingæ, post mortem magni Parentis, prælaudati Serenissimi Principis LUDOVICI VI. Hassiæ Landgravii, Avitum Ditionum & Terrarum Hassiacarum Regimen suscepit, ipse, vix peractis Principi Parenti Exequiis, & libato tantum hujus Imperio, quinto post mense statim, Patriam cum illo simul, & vitam relinquens, Sponsus raræ & Excelsæ Principis Virginis, cum pro incremento Domus suæ, & salute civium, in ipso apparatu, & lumine staret Nuptiarum cum Serenissima Principe ac Domina, Domina WILHELMINA SIBYLLA, Reverendissimi, & Serenissimi Principis ac Domini, Domini MAVRITII Postulati Administratoris Episcopatus Naumburgici, & Citicensis, Ducis Saxonæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, & Superioris ac Inferioris Lusatia, Comitum Marca, & Ravensburgi, Domini in Ravenstein, ex secunda Conjuge quondam, Serenissima Principe ac Domina, Domina DOROTHEA MARIA, Nata & Nupta Duce Saxonæ, Juliaci, Cliviæ, & Montium &c. &c. Filia dilectissima

unica, Gothæ apud Cognatos & Affines Serenissimos Duces Saxonæ, die XXXI. Septembr. pramatura morte obiit, tumulumque prius, quàm thalamum intrans, Hassiam iterum, & Thuringia in luctu conjunxit, huncq; Saxonæ, & Wirtembergiæ quoque nostra transmisit. Locum autem in Avito quondam Regimine fecit, Fratri nunc Seniori, Serenissimo Principi ac Domino, Domino ERNESTO LUDOVICO, Landgravio Hassiæ, Principi Hersfeldiæ, Comiti Cattimelboci, Deziæ, Ziegenhainæ, Niddæ, Schauenburgi, Ysenburgi, Budingæ, qui jam sub Tutela dilectissimæ Matris, Serenissimæ Principis ac Domina, Domina ELISABETHAE DOROTHEAE, Landgraviæ Hassiæ, Principis Hersfeldiæ, Comitis Cattimelboci; Deziæ, Ziegenhainæ, Niddæ, Schauenburgi, Ysenburgi, Budingæ, Natæ Ducis Saxonæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Landgraviæ Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Principali Dignitate Comitis Hennebergicæ, Comitis Marcæ, & Ravensburgi, Domina in Ravenstein, Principis Regentis, & Supremæ Tutricis, egregiè adolescit. Tam arctè sibi in omnibus Filium LUDOVICVM VII. univit Patrens LUDOVICVS VI. ut vix ac illum in terris habuit Successorem Principem, mox etiam in Cælis nactus fuerit comitem. Sic paribus fatis eunt res Wirtembergicæ, & Hassiacæ, ut, quemamodum illic Dux WILHELMUS LUDOVICVS Ducem Parentem EBERHARDUM III. ita hic utrumque illum, Generum, ac Consocerum Ducem, Landgravius LUDOVICUS VI. & hunc Parentem, Filius Landgravius LUDOVICUS VII. morte ubique propera, insecutus fuerit, & singulorum memoria iisdem ferè, ut temporibus, & casibus, ita Orationibus, ac Elogiis celebranda, & posteritati tradenda veniat. Post dictum ergo suprema laudatione EBERHARDUM III. Wirtembergiæ & Tecciæ Ducem, Seculorum memoria dignissimum: post celebratum hoc

hoc anno **WILHELMUM LUDOVICUM**,
 Wirtembergiæ & Teccia Ducem, *Excelsa item recorda-*
tionis, dicetur nunc LUDOVICUS VI. Landgra-
 vius Hassiæ: *in cuius vita, & laudibus, & tantum non*
morte ipsa, Filius Successor LUDOVICUS VII.
quoque continetur. Dicetur autem Ille Solenni Paren-
tatione, autoritate publica, crastina die, hora ante meri-
diem nona, in Illustri Collegio, quod Principes laude dig-
nos vetat mori, à Dn. JOANNE ULRICO PRÉ-
GIZERO D. Politicorum, Historiarum, & Eloquen-
 tiæ P. P. *Ad quem Actum illustrandum Serenissimi Prin-*
 cipis ac Domini, Domini **LUDOVICI**, Ducis Wir-
 tembergæ, & Teccia, Comitum Mompelgardia, Dy-
 nastæ in Heidenheim, Præsidis Illustris Collegii hujus Cel-
 sissimi, Principis ac Domini nostri Clementissimi, *Præsen-*
tiam prolixioribus verbis humilima Inuitatio hac, prima ex
hoc loco, expeteret nunc, nisi illam Amor & Affectus erga
Cognatam Serenissimam Domum Hassiacam ultro eti-
am in Principe hoc promitteret: Cui ut cum Illustrissimis
 Comitibus, *aliisque Viris Illustribus, & Nobilissimis, ad-*
sint quoque, quicumque in Academia regunt, docent, aut
discunt, Doctores, Professores, Studiosi, ac Cives, humi-
liter, officiosè, amicè, obsecrantur, rogantur: de quibus
haud dubium, illos frequentes ad futuros Panegyri conse-
crata Honori Memoriaque Principis, qui sua fortuna, su-
isque Virtutibus, laudibus, ac meritis, toti Germaniæ
conspiciendum, & prædicandum se præbuit: cuius etiam
Heroo sanguini ac Stemmati Serenissima Domus Wir-
 tembergica, *cum Patria hac universa, Serenissimam*
 Principem *Filiam, Dominam MAGDALENAM*
SIBYLLAM Ducem Viduam, *nec non Serenissimos*
ex hac quatuor Principes Nepotes, Dominum EBER-
HARDUM LUDOVICUM, *Dominam ELEO-*
NORAM DOROTHEAM, *Dominam EBER-*
HARDINAM LUDOVICAM, & *Dominam*
 B MAG-

MAGDALENAM WILHELMINAM
 Spes suas, ac decora Gentis, adscribit, & debet: De quo
 ut hic plura non dicantur, facit scriptio hujus modus,
 chartaque angustia, quæ brevitatem amat, & argumen-
 tum tam insigne, tamque illustre, Parentationi, quæ ex
 hoc loco indicitur, plenius tractandum relinquit, *DEUS*
 Serenissimæ Domui Hassiacæ, eidemque tot vinculis ac
 nexibus conjunctæ Serenissimæ Domui Wirtembergicæ,
 in mœstis & adversis solatia, & constantiam: rebus lati-
 oribus quondam felix Regimen, & Administrationem
 cum Tutela ubique cœlitus benedictam: *DEUS* toti Ger-
 manicæ, & Europæ denique spem Pacis tutæ, ac honestæ cer-
 tam, fructusque exoptatos tribuat, concedat. PP. Tubin-
 gæ in Illustri Collegio, & publico Sigillo munitum, Do-
 minica II. Adventus, die VIII. Decembr. Anno *CHRIS-
 TI M DC LXXVIII.*





Serenissime Princeps ac Domine,

D O M I N E

LUDOVICE,
DUX WIRTEMBERGIÆ ET
TECCIÆ, COMES MOMPEL-
GARDIÆ, DYNASTA IN HEI-
DENHEIM,

Præses Illustris Collegii Celsissime,

Princeps ac Domine Clementissime.

Corona Auditorum reliqua, debita cum Ho-
 noris præfatione decenter undiquaque
 compellanda.

Non alio ergo Sermone Actuque senescens
 hic annus exspirare in *Illustri Collegio* hoc
 potuit, quàm illo ipso, quali sub primordi-
 um lucis suæ, cœptus is, natusque ex hac
 Cathedra fuit. Dixi tunc ex hoc ipso loco inter atratos
 hos parietes, & pullata pulpita, in recentissimo totius
Wirtembergiæ luctu: Dixi mœsta & renitente voce, inter
 lachrymas & suspiria: Dixi ipso *Natali Die* Vitam &
 Mortem *Serenissimi Principis WILHELMI LUDO-*
VICI, Wirtembergiæ & Teccia Ducis, Principis Optimi,
Patria Patris, Illustris Collegij hujus Nutritij, & Statoris,

B 2

Prin-

*Principis ac Domini nostri quondam Clementissimi. Nunc
 vergente ad finem eodem anno, dicendus est Serenissi-
 mus Princeps LUDOVICUS VI. Landgravius
 Hassia, Princeps Hersfeldia, quem præfatus Dux ah!
 quondam noster, in vita Socerum, & in morte ipsa quo-
 que Cognatum: quem Conjux illius, nunc Vidua, Se-
 renissima Princeps MAGDALENA SIBYLLA
 Dux Wirtembergia & Teccia, Nata Landgravia Has-
 sia, Princeps ac Domina nostra Clementissima, Paren-
 tem: quem natus his Conjugibus Serenissimus Princeps
 EBERHARDUS LUDOVICUS Dux Wirtem-
 bergia & Teccia, Princeps ac Dominus noster Clementif-
 simus cum gratiosissimo Serenissimarum Principum So-
 rorum Ternione, ELEONORA DOROTHEA,
 EBERHARDINA LUDOVICA, & MAGDALENA
 WILHELMINA Avum habuit: Princeps qui non
 tantum Hassia suæ, sed & huic Wirtembergia, imo
 Germania, dicendum se præbet: Princeps, qui annum
 hunc bello, ac pace rursus, inter Potentissimos Europa
 Reges, ac Republicas, occupatione alibi Provinciarum,
 & devastatione terrarum, expugnatione, & incensione
 Urbium antea invictarum, & florentissimarum: nefan-
 dis in sancta Regum capita, Regnorumque everfiones
 conspirationibus: pulsus sedibus suis Populis: cæsis in acie
 ac prælis tot hominum millibus: atque hinc obitu Se-
 renissimorum, Reverendissimorumque in Germania Prin-
 cipum: BERNHARDI Ducis Saxonie: CAROLI
 Marchionis Badensis, generoso sanguine Rhenum im-
 buentis: PHILIPPI ERDMANNI Marchionis
 Brandenburgici, infelici casu domi, cum foris à Marte
 non posset, extincti: CHRISTOPHORI BERN-
 HARDI Episcopi Monasteriensis, toties tiaram galea
 mutantis, & Saracenis quoque metum bello incutientis:
 nuperque adeò DAMIANI HARTARDI Archi-
 Episcopi Moguntinensis, & S. R. I. Principis Electoris:
 inde*

inde nato in spem Pacis ac Imperii ex *Sacratissimo Cæsare* LEOPOLDO, & *Augusta Imperatrice* ELEONORA MAGDALENA THERESIA *Austriaco-Palatina*, *Serenissimo juvenutis Germanica Principe*, JOSEPHO JACOBO, *Austria Archiduce*, varium adeo, tristemque, ac lætum, sua etiam morte luctuosum, ac nobilem fecit: trahens mox secum Successorem Filium, *Serenissimum Principem* LUDOVICUM VII. *Hassia Landgravium*; qui Sponsus *Serenissimæ Principis*, WILHELMINÆ SIBYLLÆ *Ducis Saxonie*, Filia unica & dilectissima *Reverendissimi, & Serenissimi Principis*, MAURITII, *Postulati Administratoris Episcopatus Naumburgensis, & Citicensis, Ducis Saxonie, Juliaci, Clivia, & Montium*, (cujus Nepotes ex Fratre, *Serenissimos Principes*, PHILIPPUM, & HENRICUM, *Saxonie Duces*, hoc *Illustre Collegium* superiori anno à Musis suis ad Exteros dimisit) stans jam in limine Conjugii, accensas nuptiales tædas, rogo subditas sensit, & tumulum prius, quàm thalamum intrans, non jam myrtos circa hunc, sed ferales circa illum cupressos à *Thuringis* accepit, mortis ante, quàm *Saxonica Rutæ* in thoro odore, *Gothæ* perfusus: quem vivum etiam, & adhuc florentem, anno abhinc, & quod excurrit, *Illustre Collegium* hoc excepit, cùm ex *Italica* peregrinatione Redux, Te *Serenissime Dux* LUDOVICE, Cognationis & Amicitia ergo, in hoc loco salutasset: De quo etiam non aliena erit præsens hæc Oratio, quæ quicquid de laudibus *Serenissimi Principis Parentis* dicet, id etiam ad hunc genuinum Paternæ Virtutis ac Fortunæ, licet brevis ævi, longæ tamen gloriæ Hæredem, pertinebit. Sic in LUDOVICO VI. *Landgravio*, laudabitur etiam LUDOVICUS VII. & in hoc Filio, ille Parens etiam laudes suas positas inveniet hac Parentatione; quam *Serenissimus Princeps* FRIDERICUS CAROLUS, *Wirtembergia, & Teccia Dux, Administrator, & Tutor Supremus*,

C Prin-

Princeps ac Dominus noster Clementissimus, in hoc *Illu-
stri Collegio* præcepit, & mandavit: lugens Ipse quoque
Principem Cognatum, & hujus gratia publicum luctum
toti *Wirtembergia* indicens, quem *Inviçtissimus Cæsar*
LEOPOLDUS fidelem Imperii, & Cognatum Princi-
pem: quem *Augusta Imperatrix* ELEONORA MAG-
DALENA THERESIA Avunculum: quem in *Se-
ptentrione* Reges: & per *Germaniam* Electores, aliique
Principes, propinquo Cognationis & Affinitatis affectu, à
latere, & ex ordine suo avulsum, graviter luxerunt.
Ego, uti mallet digniorem tanti Principis Encomiastem
ex hac Cathedra extare: Ita præsertim doleo ac lugeo,
quòd finis hujus anni ita ab origine pendet, ut in revo-
lutione illius WILHELMVS LVDOVICVS *Dux*
Wirtembergia, & LUDOVICVS hic VI. *Hassia Land-
gravius*, uterque Princeps Gener ac Socer, in hac Ca-
thedra ita convenient, & ambos ego tam tristi Oratione
sibi invicem connexos, & eadem dicendi serie, nullo ex-
traneo interveniente argumento, succedentes, jungere
debeam. Sed quoniam fata, & Principis, ac Superio-
rum mandatum ita jubent, parendum est necessitati, &
imperio. Sublevate autem *Auditores*, Tuque inprimis
Serenissime Dux LUDOVICE, gratia & benevolentia
Vestra, dicturum iterum de Principe supra orationem
meam longè posito. De quo si auribus animisque ve-
stris, sed & Illius dignitati, ac meritis non satisfacero, in
magnis tamen voluisse sat erit.

ANnus agebatur hujus Seculi *Trigesimus*, à tradita
Imp. Cæsari CAROLO V. *Confessione Augustana*,
primus *Secularis*, & propterea in terris *Protestan-
tium Jubilæus*: Imperio *Augustissimi Cæsaris* FERDI-
NANDI II. *Austriaci*: habitis *Ratisbonæ* Comitibus Ele-
ctora-

Etoribus: inauguratione *ELEONORÆ Imperatricis*
Augustæ, Austriaco-Gonzage Mantuana: adventu *Po-*
tentissimi Suecorum Regis GUSTAVI ADOLFI in
Pomeraniam, & Germaniam: initio feralis Belli *Germa-*
nici: exituque *Italici:* Pace inter *Potentissimos Hispania,*
Magnaque Britannia Reges: PHILIPPUM IV. & CA-
ROLUM I. morte *CAROLI EMANUELIS Du-*
ci Sabaudia: & AMBROSII Spinola: nec non nati-
 vitate hujus, quem dico, *Landgravij LUDOVICI VI.*
 die xxv. *Januarij,* varia aded sorte insignis, & notabilis.
 Nascebatur eodem anno *PHILIPPO IV. Hi-*
spaniarum, & Indiarum Regi, ex *ISABELLA Fran-*
cica BALTHASAR CAROLUS Princeps: qui cum
 sedecim annos ageret, Sponsus *MARIAE AN-*
NAE Austriacæ, filia *FERDINANDI III. Imp. Ro-*
mani, diem obiit, & post mortem Regis Parentis locum
 in tot Regnis fecit Fratri moderno *Potentissimo Hispan-*
iarum Regi, CAROLO II. Illustravit juxta annum
 istum ortu suo *CAROLUS II. Magnæ Britannia Rex*
Potentissimus, Patre *CAROLO I. Magnæ Britannia*
Rege, Matre *HENRICA MARIA Francica* na-
 tus: quem nuper iterum, scelestissimis conjuratorum,
 manibus ereptum, vigil in Regum salutem Divina provi-
 dentia, vitæ donavit. Auctum quoque alibi in *Germa-*
nia Genus Austriacum, eodem tempore ex *LEOPOL-*
DO Archiduce, & CLAUDIA Medicea, suscepit *SI-*
GISMUNDVM FRANCISCVM: qui cum Nuptiis
Serenissima Principis MARIAE HEDWIGIS AV-
GUSTAE Palatina, jamjam instaret, cum morte illas
 mutavit, anno hujus Seculi Sexagesimo Quinto, Hære-
 demque Ditionum Agnatum *Inviētissimum Casarem*
LEOPOLDUM, Cui Vita, & Victoria! habuit: vi-
 duatam autem ante nuptias Principem Sponsam, Con-
 jugem reliquit *Serenissimo Principi JULIO FRAN-*
CISCO, Duci Saxonia, Angaria, & Westphalia, qui
 C 2 arma

arma hæcenus in bello pro *Cæsare*, & *Imperio* gessit. Sed & eodem anno AUGUSTUS Comes *Palatinus Rheni*, Princeps in Religione constans, ex Coniuge HEDWIGE, Nata *Slesvici*, & *Holsatiae Duce*, Filium suscepit *Serenissimum Principem*, PHILIPPUM Comitem *Palatinum Rheni*, Principem bello strenuum, & adhuc hodie superantem. Celebravit & anno isto nuptias cum MARIA ELISABETHA, *Saxoniae Duce*, FRIDERICUS *Heres Norvagia*, *Dux Slesvici*, & *Holsatiae*: Princeps singularis exempli, & Famam Nominis sui per omnem *Germaniam*, & *Europam*, imo per *Orientem*, & *Asiam* quoque, *Persiamque* extendens: jam tunc destinatus, & futurus olim Socer nati anno isto LUDOVICI, quem dico, *Landgravi*, quippe cui Filiam deinde MARIAM ELISABETHAM ex isto Coniugio natam, Coniugem primam dedit.

Hæc inter *Europa*, & *Germania* lumina, vitales has auras *Darmstadij* hausit LUDOVICUS VI. *Hassiae Landgravius*: natus Patre *Serenissimo Principe*, GEORGIO II. *Hassiae Landgravio*, singulari gravitate, prudentia, rerumque experientia in Imperio pollente: Matrem nactus est *Serenissimam Principem* SOPHIAM ELEONORAM *Landgraviam Hassiae*, Filiam JOANNIS GEORGII I. *Ducis Saxoniae*, *S. R. I. Principis Electoris*, ex MAGDALENA SIBYLLA *Brandenburgica*. Avum habuit LUDOVICUM V. *Hassiae Landgravium*: qui à Fide erga Cæsarem summa FIDELIS cognomento dictus, maximæ quoque virtutis, & authoritatis Princeps in Imperio fuit. Hinc Avia illi MAGDALENA *Brandenburgica*, filia JOANNIS GEORGII *Marchionis Brandenburgici*, *S. R. I. Principis Electoris*, ex ELISABETHA *Anhaltina*. Proavus ei fuit GEORGIUS I. *Landgravius Hassiae*, cui nomen *Pietas* dedit: & ab hoc ProAvia MAGDALENA, filia BERNHARDI *Comitis Lippiae*, ex
CA-

CATHARINA *Waldeccia*. Quid dicam Abavum
 PHILIPPUM *Magnanimum, Landgravium Hassiæ?*
 cujus Heroica facta loquitur adhuc tota *Germania*, &
 cum *Hassia* quoque nostra *Wirtembergia*, cui armis suis
 restituere ULRICUM Ducem adjuvit: loquitur Fama
 adhuc Conjugem hujus, Abaviam LUDOVICI,
 CHRISTINAM *Saxonicam*, filiam GEORGI *Di-*
vitæ, Ducis Saxonie, ex Regia Principe BARBARA
Polonica, tot Principum, & Heroum Matre. Vel quid
 memorem Atavum WILHELMUM *Medium, Land-*
graviū Hassiæ, Principem bello quoque fortissimum?
 Aut quid Ataviam ANNAM *Megapolitanam*, filiam
 re & nomine MAGNI *Ducis Megapolitani*, ex SO-
 PHIA *Pomeranica*? Offert hic etiam se nominandus
 Tritavus, LUDOVICVS *Pius, & Liberalis, Landgra-*
vio Hassiæ, cum Tritavia MECHTILDE *Wirtember-*
gica, filia LUDOVICI *Probi, Comitis Wirtembergiæ,*
 & *Mompelgardie*, ex MECHTILDE *Palatina*; quæ
 uti Mater fuit duarum *Academiarum, Tubingensis hu-*
jus, Tertium jam Seculum agentis, & Friburgensis: Ita
 Mater quoque, per filiam MECHTILDEM *Wir-*
tembergicam, Domum *Hassiæ* condidit, cui primū
 MECHTILDIS hæc *Wirtembergicum* Sanguinem per
 Nuptias intulit, in hunc usque LUDOVICVM VI.
 ejusque Gentiles omnes, & Posteris derivatum, & Re-
 giis quoque Familiis, in *Dania, & Gallia*, longissimo tra-
 duce infertum. Possem jam juxta ex Materno Genere
 LUDOVICI *Landgravi* longiorem propinquorum
 Avorum, Electorum, Ducum, aliorumque *Ger-*
mania Principum seriem pertexere, & mox cum his
 FERDINANDUM I. *Imperatorem Rom.* CHRIS-
 TIANUM III. & FRIDERICUM I. *Daniæ, ac*
Norvagiæ: CASIMIRUM II. *Poloniæ*: PHILIP-
 PUM I. *Hispaniæ*: VLADISLAUM *Ungariæ, &*
Bohemiæ, Reges, aliosque cum Scepbris, & Coronis alle-
 D gare.

gare. Possem amplius ex Paternis Majoribus huc producere LUDOVICUM *Mitem, & Pacificum, Landgravium Hassia*, tantæ in Imperio authoritatis, & æstimationis Principem, ut post ALBERTUM II. *Austriacum* meruerit *Imperator Romanus* eligi: quam tamen Majestatem, & Purpuram majori animo respuens, quàm accipiens, FRIDERICO IV. *Austriaco*, in cujus Augusta Domo adhuc illa, faxit DEUS porrò diutissimè, & cum incremento Salutis publicæ! residet, reliquit. Possem etiam HERMANNVM, Principem non minus doctum, quàm fuit hic noster LUDOVICUS: Possem LUDOVICUM I. & OTTONEM, quam meæ laudis haud indigos, celebrare *Hassia Landgravios*: Sed hos melius Fama loquatur superstites. Silere tamen hic omninò nequeo illum HENRICUM, *Infantem Hassia*, novum quendam Gentis hujus, quatuor abhinc Seculis, Conditorem, genuinum Surculum Veterum *Ducum Brabantinorum, & Landgraviorum Thuringia*, atque ab his *Imperatorum Carolingorum, & priscorum Ungaria Regum*: qui satis magna, & virilia facta, de se prædicanda Oratoribus reliquit: Victor Episcoporum quorundam, & Nobilium rebellium: Author *Cassellanae* arcis, & Devastator prædatoriarum: Veram dans *Hassia* pacem, & securitatem, cum sanguine suo. Hic genitus Patre HENRICO II. *Magnanimo, Duce Brabantie*, Avo HENRICO I. *Probo, GOTOFREDOS* illos, *Brabantie Duces*, HENRICOS, LAMBERTOS, RAGINERIOS, *Lovanij, & Hannonia Comites*, & GISELBERTOS, *Duces Lotharingia, Limburgi, ac Luzenburgi*, Majores habuit: per quos ab *Ardennatibus Comitibus*, ad ipsam CAROLI Magni *Imp. Romani* Stirpem adscendit: Ex cujus Imperatoria Domo non alia est Principum *Germania* Familia, quæ non interrupta serie tot Conjuges matrimonii sibi junxit, quàm illa veterum *Brabantie*

bantia Ducum, & quæ ex hac nata, Landgraviorum Hassia: quæ præter tot alias Avias ex Carolinarum Familiarum Posteris ortas, tres numerat ex ipsa Carolina Domino, suæ Familiæ, per Conjugia, insertas. Eadem autem Gloria hanc ipsam quoque Domum manet, si Maternum Genus HENRICI, Infantis Hassia, respiciamus: Habuit enim hic Matrem SOPHIAM, filiam LUDOVICI, Landgravij Thuringia, Genus suum à CAROLO Duce Lotharingia, ex Posteris Caroli Magni ducentis: Avia autem ei fuit ELISABETHA, Sanctus adscripta, filia ANDREÆ, Regis Ungaria, qui magnitudine animi, religione, consilio, & justitia, vix parem suo seculo habuit: A quo jam Serenissima Domus Hassiaca etiam antiquissimos & nobilissimos illos Ungaria Reges, BELAS, STEPHANOS, GEYSAS, LADISLAOS, COLOMANNOS, SALOMONES, inter Majorum suorum decora præfert, horumque imagines per LUDOVICUM hunc, quem dico, Landgravium, etiam Tibi, Serenissime Princeps EBERHARDE LUDOVICE, Dux Wirtembergia, & Teccia, jam iterum non Ducum, & Principum tantum, sed & Regum, ac Imperatorum Sanguis, ab hoc Avo ostendit. Sed quia multa supersunt, quæ Princeps hic LUDOVICUS ad laudem habuit propria; quæque à fortuna non accepit, sed fecit ipse: quare ad hæc jam pergo: neque tamen illa priora negligere planè debui, quæ & ad Divinam Providentiam, circa propagandas Illustres, & Regnatrices Familias singularem, pertinent, & quemadmodum Magni à Magnis, generentur, ostendunt.

Quid enim à tantis Majoribus parvum? quid vel ex solo GEORGIO II. Hassia Landgravio, & SOPHIA ELEONORA Saxonica, imbelles, aut humiles nasci potuit? Transit ab his tertio suavissimi Conjugii anno prima virtus, in Filium hunc Principem LUDOVICUM Primogenitum: qui hoc ipso nomine, ex Familiæ legibus,

bus, factus Terrarum, & Ditionum *Hassia Superioris* Princeps Hæres, statim etiam, post novam in Sacro Baptismo regenerationem, in ipsius Cœli, & æternæ beatitudinis hæreditatem venit, nomenque LUDOVICI accepit, Avi sui: cujus & virtutes, & avitas laudes ipse deinceps adscivit: par quoque LUDOVICIS Majoribus; Arx, & præsidium hominum certum: Fidelis DEO, Cæsari, & Imperio Princeps. Cujus prima statim Educatio præcipuè huc tendebat, digna suæ Fortunæ, & rebus, ad quas natus erat, par: facilis etiam ob naturam: in qua generosa Indoles, ingenium igneum ac fervidum, omniumque rerum capax, animus disciplinæ cupidus, ac patiens, memoria singularis, mox profectus illius, fructusque ante ætatem accelerabant. Prima autem, & præcipua cura fuit Pietatis: quæ nascenti cum sanguine, & lacte materno instillata, crevit cum illo, & adolevit summa. Altera fuit Virtutum reliquarum, quæ ab illa pendent, & parandæ imprimis Doctrinæ, atque per hanc etiam Prudentiæ regnandi. Harum initium cum à literis, velut fundamento, fecisset, in his ita cum ætate, imo ultra profecit, ut vix ex ephœbis excedens, Legatos in Aulam Principis Parentis venientes (veniebant autem propter dignitatem, & autoritatem hujus multi) Latina, & Gallica Oratione sæpius allocutus fuerit, & eos amplius sermones cum his habuerit, quales olim ALEXANDER, nondum *Magnus*, sed jam huic Nomini Puer instans, cum Legatis Regis Persarum, & aliis in aula Parentis Regis PHILIPPI servit. Nosti hæc, & ipse audivisti, Vir priscae Virtutis, & Nobilitatis ex *Hassia*, quem honoris gratia appello, *Generose Alberte Otto à Merlau*, cum apud Principis, quem loquor, Parentem, GEORGIUM II. *Hassia Landgravium*, inter Ephœbos Nobiles, Aulæ, & deinceps militiæ ministeria, obires. Vidisti præterea, & testari potes, qualiter GEORGIVS *Landgravius* ille, non minor Parens

quàm

quàm Princeps, Natum hunc LUDOVICUM, *Principem juvenutis*, Reipublicæ instituerit, illumque Senatui, & Curiaë mox præsentem tradiderit, ut deliberationibus, & consiliis quæ ad summam Imperii pertinent, maturè interesset, & adsuesceret, statum Provinciarum, causasque civium in tempore cognosceret, & sic paratior aliquando ad regimen horum accederet, neq; tunc demum disceret, quando opus ut præcipiat. Qualiter *Romani* olim Senatores, filios adolefcentes in Curiam, secum ducebant, ut paulatim Reipublicæ notitiæ studeant, & hæc certiore aliquando illorum haberet fiduciam. Aut qualiter CHRISTOPHORUS quondam *Dux Wirtembergia*, laudatissimæ memoriæ, EBERHARDUM suum, *Principem juvenutis Wirtembergica* Curiaë asseruit, prius tamen morientem, quàm Patriæ imperantem. Fuerunt alia quoque plura, quam hæc satis sunt, exercitia, & studia, Principe digna per quæ LUDOVICUS *Landgravius* Juventutem egit; inter quæ laudanda imprimis literarum, & Eloquentiæ Doctrina, nec non vernaculæ *Poeseos*, in summo pretio habitæ, & ad usum quidem præcipuè Pietatis, culturâ. Loquuntur hanc DAVIDIS, *Hebraorū Regis*, Psalmi omnes, Germanico carmine in numeros à tanto Authore Principe redacti. Opus verè Regium, & tam pio doctoque Principe dignum, multorumque Poetarum operibus præferendum: cui servando justius competeret arcula, qualem ALEXANDER *Magnus* custodiendis *Homeri* versibus. ex Regiis *Persarum* spoliis destinavit. Nec minori juxta hæc curæ fuerunt Disciplinæ Mathematicæ: Principi adeo utiles, & necessariæ; quas hic tantoperè dilexit, ut illas vivus semper coluerit, & tanquam magister exercuerit, & illarum nomina feretro quoque, ut deinceps audiemus, inscripserit. Est hoc jam diu inter proprias laudes *Serenissimæ Domus Hassiacæ* (quæ tamen in his etiam *Serenissimam Domum Wirtembergicam*

E

cam

cam lubens in Cognationem, & Affinitatem recipit) ut in illa cum armis literæ pariter sedem, & patriam habeant.

Quid enim ille tribus abhinc seculis HERMAN-
NUS *Hassia Landgravius*; qui *Prage*, & *Parisis* adeo literis fuit excultus, ut *Docti* cognomen, quod alii inter privatas tantum laudes ponunt, Princeps assumpserit: Et idem tamen armis etiam tantum præstitit, ut OTTONEM, *Ducem Brunsvicensem*, cum *Factione Stellæ* magnos motus cientem, iisdem superaverit. Quid Abnepos hujus PHILIPPUS *Magnanimus*: qui Belli Fulmen, prope castra Parentis WILHELMI *Medij* natus, & in his maximam vitæ partem degens, à Musis tamen haud fuit alienus, sed has scitè Marti conjunxit. Nam cum anno superioris seculi vigesimo sexto, habito *Homburgi* Conventu Provinciali Pontificiam Religionem abolevisset, veramque Evangelicam Doctrinam Fidei in terris suis, quas solus possedit amplas, & potentes, introduxisset, Cœnobia otiosorum Monachorum, qui fruges consumere nati, in Scholas convertit, (ut fecerunt deinceps etiam in hoc Ducatu ULRICUS, & CHRISTOPHORUS *Duces Wirtembergici*) & *Marpurgi* Academiam, quam ex Theologis etiam *Ægidius Hunnius*, popularis noster, & *Tubingensis* Ecclesiæ Diaconus ante: ex *JCtis*, & Philosophis, Triumviri isti, *Vultejus*, *Gæddaus*, *Goclenius*, & alii, illustrarunt, fundavit. Unde de illo Seculi sui Historicus princeps ita scribit: *Vir fuit celsi, & ingentis animi, qui cum prudentia & consilio multum valeret, plus tamen pugnacitati, & fortune semper tribuit: bellis defunctus, etiam literarum studia cura habuit, & Marpurgi Scholam celebrem instituit, amplissimisque privilegiis, ac Stipendiis donavit.* Sed audite Principis hujus Elogium in *Mausoleo Mauritiano*:

*Hic sita Magnanimi sunt Principis ossa PHILIPPI,
Quem penes Hassiaci Sceptra Leonis erant:*

Hoc

Hoc Duce falsa ruunt pulsas Idola tenebris,
 Sinceraque rediv Religionis honor.
 Pauperibus largitus opes, & premia Musis,
 Dat patrio ritus, & pia jura solo.
 Munit & immensis vallatas molibus urbes,
 Altaque candenti marmore tecta locat.
 Ejus at ingentes animos, senosque triumphos,
 Nobilis aeterna gloria laude canit.
 Tandem dum coluit pacatis otia rebus,
 Confectus placida sidera morte subit.

Nec minor Patre, ex utroque, fuit Filius WILHELMVS
 Sapiens, (idem Gener CHRISTOPHORI Sapiensis,
 Ducis Wirtembergia, & Socer LUDOVICI, Proavi
 Tui, Illustrissime LUDOVICE CRATO, Comes Nas-
 sovi Sarapontane,) Victor Victoris Germaniae, Princeps
 literis & armis, Arte & Marte insignis:

Alterum Hassia

*Sidus serenum, Patria Pater sua:
 Sapienciam quem propter admirabilem
 Germania est mirata tota, & exteri
 Reges:*

ut Poeta de illo canit. *Qui*, verba sunt Joannis Crocij,
 in locum Patris demortui divina manu evectus, rempu-
 blicam sacram, civilem, & aeconomicam, tam pie & juste,
 tam prudenter administravit, ut praclarissima omnium
 virtutum trophaea ubique gloriosè erecta, non solum totam
 Germaniam, sed omnes universi Orbis Christiani partes
 in magnam admirationem raperent. *Qui* verè erat Ne-
 stor sui temporis, & alter Atlas: Nestor quidem: quippe
 ad quem ab Imperatoribus Romanis, Francia, Anglia,
 Polonia, Dania, Suecia, Scotia, Regibus, & plerisque Prin-
 cipibus Imperij, crebra litera veniebant, & frequentes Le-
 gati; quibus de gravissimis negotiis tam sapienter respon-
 debat, ut, qui semel eum audivissent, ipso consultore sapius
 tnerentur, omnes amarent, & haberent in pretio. Atlas

E 2

verò;

verò; tantam enim rerum Mathematicarum scientiam
 & usum sibi comparaverat, ut non solum præstantissimis
 prisca Seculi artificibus palmam ambiguam redderet, sed
 etiam suo tempore exercitatissimi homines huc profecti,
 ab eo discere non erubescerent. Quid dicam MAURI-
 TIUM, omnium non *Hassia* tantum, sed *Germania*
 Principum doctissimum? qui verus Musarum Amor, na-
 tus Patre WILHELMO Sapiente, Matre SABINA
Wirtembergica, etiam à Parente CHRISTOPHORO
 literas haud vulgariter docta, eruditionem ab his quo-
 que hausit: & porrò acris doctique ingenii documenta
 in prima statim pueritia dedit: dum nondum complens
 undecimum ætatis annum, *Græca*, & *Latina* Poeseos
 specimen AUGUSTO Duci & Electori *Saxonia*, Su-
 ceptori suo ex sacro Baptismo, at quanto Principi! qui-
 que senex jam addiscendæ Linguæ Latinæ adhuc ope-
 ram impenderat, obtulit. Sed & præter has linguas,
 quas exactè calluit, *Hispanicam*, *Italicam*, & *Gallicam*
 ita tenuit, ut alios docere has potuerit. Laudat in illo
 etiam hanc linguarum peritiam invidus aliàs *Germano-
 rum* laudibus, peregrinator ille ex *Italia*, qui istâ Mi-
 thridatis famæ invidiam fecisse MAURITIUM hunc
 scribit. Excelluit autem hic etiam aliis plerarumque bo-
 narum artium, inprimis *Matheseos*, *Astronomia*, *Geo-
 graphia*, & *Musica* studiis: Poeta insuper præclarus, &
 facer, Psalmos *Hebraorum* Regis DAVIDIS, ut hic
 Gentilis LUDOVICUS II. carmine reddidit: & opus hoc
 novem mensibus absolutum, ad RUDOLFUM II. *Im-
 per. Rom.* misit: qui de profectibus his eidem gratula-
 tus, honorificè respondit sua manu, & ob donum istud
 gratias egit. Hinc tanta fuit existimatio doctrinæ, &
 sapientiæ hujus MAURITII, ut illius fama non *Euro-
 pam* tantum, sed & *Asiam* impleverit: ex qua Ipse *Per-
 sarum* Rex Legatione hunc Principem honestavit: ne di-
 cam de RUDOLFI II. *Imp. Rom.* & Regum *Francia*,
 Magna

Magna Britannia, Suecia, & Dania Legatis in Aulam, ipsius missis, ut Regum suorum nomine de gravissimis negotiis sententiam ab eo rogarent; quibus MAURITIUS ea lingua, qua quisque proponebat, cum omnium admiratione respondere consuevit. Prædicat hunc Principem quoque literis egregiè instructum *Thuanus*, qui *Hassiaca Familia* hoc Gentile esse, jam superiori seculo scripsit: Quid dicturus, si ipse etiam Filium MAURITII, *Serenissimum Principem ERNESTVM, Landgravium Hassia*, Filiamque ELISABETHAM, secundam Conjugem JOANNIS ALBERTI, *Ducis Megapolitani, Principem Latina, Hispanica, Gallica, Italica* linguæ, ut & *Dialectica, Geometria, & Musica* satis peritam, nec non hunc ipsum quoque Principem LUDOVICVM VI. *Hassia Landgravium*, cognovisset?

Sed transeamus nunc à *Mulis Hassiacis* ad castas *Veneres, & Nuptias*: quibus LUDOVICVS VI. *Landgravius*, annum agens *Vigesimum*, animum primum applicavit: amores suos maturè Conjugii legibus addicens, ut *Patriæ, Familiæ*; Sibi que exinde prodesset. Annus erat hujus *Seculi Quinquagesimus*, quo executione *Pacis Westphalica Monasteriensis, & Osnabrugensis*, omnia in *Germania, & Europa*, ridebant, reflorescebant, & in mutuam amicitiam, ac concordiam coalescebant. Non debuit aliud tempus *Nuptiis Principis* hujus destinari, quàm illud quod *Pacis oleis ac palmis* Thalamum ita instrueret. In hunc itaque cum illo convenit prima Conjux, eademque *Consobrina, Serenissima Princeps, MARIA ELISABETHA*, Filia *FRIEDERICI, Heredis Norvagia, Ducis Slesvici, & Holsatia*, ex *MARIA ELISABETHA Saxonica*. Sic iterum in mutuam *Connubiale foedus* coiverunt *Cognatae Serenissima Domus, Hassiaca, & Slesvicensis Holsatica*: in qua, ex ista Conjugem primò superiori *Seculo* petiit *ADOLFUS, Heres Norvagia, Dux Slesvici*

Slesvici, & Holsatia, bellica gloria, & victis inprimis *Dithmarsis* clarissimus, conjungens sibi thoro CHRISTINAM, Filiam PHILIPPI *Magnanimi, Hassia Landgravi*, ex CHRISTINA *Saxonica*: quam antea ERICUS, *Rex Suecia*, expetierat: Sed cedere hæc debuit Domui *Slesvicensi Holsatica*, ut illius fœcunda Mater fieret: nam ex hac natus Filius JOANNES ADOLFUS, & cum aliis Nepos FRIDERICUS, felix Domus suæ Parens; qui dum Filiam MARIAM ELISABETHAM Uxorem dedit LUDOVICO huic *Landgravo*, reddidit *Hassia* suum sanguinem, quem ipse ab *Avia* traxit. Sic lætus cum hoc JOANNES GEORGIUS I. *Dux Saxonie, S. R. I. Princeps Elector*, gaudebat quoque huic LUDOVICO, ex filia SOPHIA ELEONORA Nepotifuo, cessisse ex altera Filia MARIAM ELISABETHAM Neptem Conjugem MARIAM ELISABETHAM: à quibus ex uno thalamo duplici vinculo natos Pronepotes suscepit. Sic Pater GEORGIUS II. *Hassia Landgravius*, exultabat, quòd Filio Principi Primogenito Hæredi Conjugium illud paravit, Domus suæ stabilimentum, & Patriæ, ac Salutis publicæ fulcrum: in quo & ipse, & Filius Princeps LUDOVICUS potuit acquiescere. Qui etiam exinde præter tot alia vitæ, Familiæq; commoda, ac subsidia, tam illustres, & potentes, novasque Affinitates, non tantum cum *Slesvici & Holsatia* Ducibus, *Daniaque* Regibus: sed & cum Principibus *Anhaltinis*, Ducibus *Megapolitanis*: & Regibus quoque *Suecia*, Marchionibusque *Badensibus*, contraxit: nam cum his omnibus communem habuit Socerum FRIDERICVM illum *Hæredem Norvagia, & Ducem Slesvici, ac Holsatia*, felicissimum tum aliis in rebus, tum in tantis, quos habuit Liberis, ac Generis, Principem. Nec minus alia parte prosperum, & fœcundum fuit primum hoc LUDOVICI Conjugium, ex quo secundo statim anno, primum Amoris, Fideique, & Fortunæ

tunæ pignus, nata *Serenissima Princeps* MAGDALENA SIBYLLA, *Dux Vidua Wirtembergia, & Teccia, Natalibus Landgravia Hassia, Princeps ac Domina nostra Clementissima.* Nata item post SOPHIAM ELEANORAM, & GEORGIUM, quos mors sustulit, *Serenissima Princeps* MARIA ELISABETHA, *Nuptiis Dux Saxonie, Juliaci, Clivia, & Montium, Ortu Landgravia Hassia:* quam excepit Soror AUGUSTA MAGDALENA, Anno hujus Seculi Septuagesimo quarto, ætatis suæ decimo octavo, defuncta: & qui nuper decessit Frater, *Serenissimus Princeps* LUDOVICUS VII. *Landgravius Hassia,* Paterni Regiminis Successor, at tam brevis ævi: cui statim nascendo successerunt, Frater FRIDERICUS, infelici casu ante biennium extinctus, & Soror SOPHIA MARIA adhuc in vivis: Qua nata, LUDOVICUS, Parens ipse mox Parentem GEORGIUM II. quem vivum Octo Nepotum Avum fecerat, subita morte, Anno hujus Seculi Sexagesimo primo sublatum luxit: statimque ex legibus Familiæ Paternarum, & Avitarum Regionum Regimen suscepit, & Parentem immortalem fecit, civibusque reddidit: auctus tamen quadriennio post novo dolore, dum à latere suo avulsam amantissimam Conjugem MARIAM ELISABETHAM, vitæ sociam in terris desideravit.

Sic novo donatus regno, sed orbus Parente, & Conjuge LUDOVICUS Viduus, Anno hujus Seculi Sexagesimo sexto ad secunda vota transit; quæ iterum haud alienæ Familiæ intulit, sed illi, ex qua prior Conjux per Matrem, imò Ipse quoque oriundus erat, *Serenissimorum* nempe *Saxonie Ducum:* à quibus etiam LUDOVICI Majores, LUDOVICUS II. *Pacificus, Hassia Landgravius,* ANNAM MARGARETHAM filiam FRIDERICI *Bellicosi, Principis Electoris:* & PHILIPPUS *Magnanimus* CHRISTINAM, filiam GEORGII *Divitis:* & ipse Parens GEORGIUS II. SO-

PHIAM ELEONORAM, filiam JOANNIS GEOR-
 GII II. *Principis Electoris*, Uxores petierunt, fœcundas
 Matres *Hassiacæ Domus*: quæ & ipsa ante ELISABE-
 THAM, filiam WILHELMI *Medij*, Conjugem dedit
 JOANNI *Duci Saxonie*: AGNETEM, Filiam PHI-
 LIPPI *Magnanimi*, conthoralem MAURITIO *Prin-*
cipi Electori, & JOANNI FRIDERICO II. *Sa-*
xonia Duci, nec non CHRISTINAM, filiam WIL-
 HELMI *Sapientis*, JOANNI ERNESTO, *Duci Sa-*
xonia, in thalamum adduxit. His motus exemplis, &
 allectus non tantum prisca utriusque Domus Cognatio-
 ne, Affinitate, & Amicitia, tot Fœderibus, & Pactis,
 etiam de mutua Successione, firmata: sed & proprio a-
 more, & singulari affectu accensus LUDOVICUS,
 secundam elegit, duxitque Conjugem *Serenissimam*
Principem ELISABETHAM DOROTHEAM,
Serenissimi Principis ERNESTI Pij, Ducis Saxonie,
Juliaci, Clivia & Montium, ex *Serenissima Principe,* E-
 LISABETHA SOPHIA, *Nata & Nupta Saxonie*
Duce, Filiam; Principem tum aliis Virtutibus, tum lite-
 rarum quoque Doctrina, quam tantoperè *Maritus*
Landgravius amabat, ornatissimam, & exultam: cu-
 jus ambos fratres *Serenissimos Principes*, ALBERTUM,
 & BERNHARDUM, *Saxonie Duces,* hoc *illustre Colle-*
gium à studiis etiam novit. Fuit & hoc verè secundum
 Conjugium, & intima animorum conjunctione supre-
 mum, nec fœcunditate excelsæ Sobolis ultimum: ex
 quo adhuc hodie supersunt, *Serenissimi Principes* ER-
 NESTUS LUDOVICUS, GEORGIUS, PHI-
 LIPPUS, HENRICUS, cum Sorore SOPHIA
 LUDOVICA, *Hassie Landgravij,* in Spem, Decusque
 Gentis, ac Familiæ, nati. Quos omnes, excepto solo HEN-
 RICO, charissimos Nepotes, viduitatis & senectutis Sola-
 tia, viva adhuc amplexa est Avia SOPHIA ELEONO-
 RA, Mater LUDOVICI, Princeps suis Virtutibus, &
 Amore

Amore imprimis erga Principem Maritum GEORGIUM, cujus Memoriam posthumam incomparabile monumentum, cui par est nullum, erexit, singularis exempli: Quæ Anno hujus Seculi Septuagesimo primo è vita decedens, novum Principi Filio, qui istam omni colebat pietate, indixit luctum. Hunc tamen ille amore secundæ Conjugis, & florentibus etiam ex hujus Thalamo Familiæ Aulæque subsidiis, nec non lætus Socero ERNESTO, at quanto in *Germania* Principe! solabatur; gaudens etiam inter mœrorem omnis hujus fortunæ Matrem consciam, & totius ferè vitæ testem habuisse, ac sociam. Fruebatur ipse deinceps amplius prioris etiam Conjugii fructibus, & emolumentis; tum successu, & adulta Spe Principum Filiorum: tum Connubiis Principum Filiarum, & acquisitis hinc novis Affinitatibus, Generis, ac Nepotibus, totque aliis gaudiorum argumentis. Mox enim hinc in Familia Primogenitam Filiam, *Serenissimam Principem*, MAGDALENAM SYBILLAM, post mortem Matris MARIÆ ELISABETHÆ, apud Materteram *Serenissimam Principem*, HEDWIGIM ELEONORAM, *Suecorum, Gothorum, Vandalorum Reginam Viduam, Natam Slesvici, & Holsatiae Ducem*, tanquam apud alteram Matrem, in *Suecia* educatam, Conjugem dedit *Serenissimo Principi*, WILHELMO LUDOVICO, *Duci Wirtembergiae, & Tecciae, Principi ac Domino nostro quondam Clementissimo*. Cui Socer Nuptias festivas paravit, *Darmstadij*, die sexto *Novembris*, Anno hujus Seculi Septuagesimo tertio: propensus etiam in Generum Principem non minore amore & affectu, quàm in proprium sanguinem: quem & ipsius gratia, & propter Parentem EBERHARDUM intimè dilexit: adventantemque primum in Aulam, & Familiæ suæ appropinquantem, illis gaudiis, & officiis excepit, quæ & præsentem tunc, & futurum animum Soceri satis ostenderunt: colens etiam

G illum

illum Poesi, qua excelluit inter Principes, & qua in honorem *Principis Juventutis*, WILHELMI LUDOVICI, Scenam Actibus, & Saltibus Theatralibus instructam, ipse implevit: Postea etiam hunc exactis Nuptiis sæpius in Aula habuit, & novam Conjugem MAGDALENAM SIBYLLAM Domum ducentem, ipse quoque cum sua Conjuge, & duobus natu majoribus Filiis, totidemque Filiabus *Serenissimis*, ex *Hastia* in *Wirtembergiam* usque secutus est, atque *Tegagogiam* illam *Wirtembergico-Hastiacam* maxima parte honestavit, & illustravit.

O quanto vicissim amore, & gaudio, quibus vultibus, & gratulationibus, EBERHARDUS, & WILHELMUS LUDOVICUS, *Wirtembergia Duces*, advenientem exoptatissimum Principem Consocerum, Socerumque, cum tantis Charitatibus, & in his inprimis MAGDALENAM SIBYLLAM, dilectissimam Nurum, & Conjugem exceperunt: quanta inimitabili oris gratia, & amabili facundiæ suavitate, inter concentus buccinarum, clangores tympanorum, fulgura, & tonitrua bombardarum, & bellicorū tormentorum, favente cælo, reboante æthere, saliente terra, plaudente *Wirtembergia*, cum totius Patriæ, Aulæque, & Militiæ lecto flore, ac robore, in *Feurbacensi* specula salutarunt. Qua pompa deinde, quo Triumphali incessu, EBERHARDUS *Dux* eundem Principem cum Novis Nuptis, & aliis gratissimis Hospitibus, *Stutgardiam* in Aulam deduxit: quibus lætitiæ signis: quibus sacris: mensisque regiis: quibus choreis, & Scenicis Actibus: quibus ignium ejaculationibus: quibus venationibus, & cæteris amœnitatum studiis, per multos dies detinuit, & recreavit. Habitavit tunc in his Principum corporibus, uti antea etiam post *Domitionis Bada-Slesvicensis Holsaticæ* Solennia observare licuit, una anima; fuitque ingens Amoris & Concordiæ certamen apud singulos, sed sine lite, Regnabat alter in alterius

terius pectore non minus, quàm in sua Provincia, & post discessum etiam præsentem, disjungi animis haud potuerunt, nisi morte. Morte inquam, quæ post trium annorum, & quod excurrit, decursum, tres illos Principes, eo ordine, quo tunc incedebant, à latere invicem avulsit. Quid dico avulsit? Imò beatos in Cœlo lætiori festo ad Nuptias Agni conjunxit. Et ex his quidem primus EBERHARDUS III. (cujus sanctam memoriam etiam instans octiduo hinc Natalis dies XVI. hujus mensis nobis refert) post supremum illud vitæ gaudium, quod ex *Hassia* accepit, quinto statim mense, die scilicet secundo *Julij*, Anno hujus Seculi Septuagesimo quarto, piè defunctus, isti lætitiæ publicæ tristem colophonem imposuit. Scimus obitum tanti Ducis non tantum *Wirtembergiam* hanc, sed & *Hassiam*, inque hac LUDOVICUM VI. *Landgravium*, acerbè luxisse: qui ipse deinceps Genero WILHELMO LUDOVICO, *Duci* quondam nostro, amplius fuit, quod erat ante Dux EBERHARDUS, Parentem nam & illum constanter amavit, & nunquam fide, nunquam consilio deseruit, & exemplo quoque in Imperio juvit. Dilectus ab hoc vicissim, & cultus omni filiali amore, & obsequio. Quanti autem EBERHARDUS *Dux* LUDOVICUM *Landgravium* habuerit, & quantum in hoc fiduciam posuerit, etiam in hoc ostendit, quòd illum ultimæ voluntatis in Testamento Executorem cum aliis Principibus statuit. Sensit deinceps hic mox alium intra Familiam gravissimum dolorem, dum magnæ jam Spei Filium Secundogenitum, *Serenissimum Principem* FRIDERICUM, præcipiti lapsu ex Sphæristerio in feralem tumbam morte cadentem, Anno hujus Seculi Septuagesimo sexto luxit, tanquã mortis suæ Præcursorem: cui memini hoc à me compositum carmen:

*Ecce pila ludens Cattorum Spes FRIDERICUS,
Fortuna mox fit ludus, & Ipse pila.*

G 2

Hæc

Hæc dum præcipiti jactu prosternit euntem:

Quodque ante evexit, trudit ad ima caput.

Ille cadit terrâ, non surrecturus: at ipsam

Fortunam rursus ludit, ad astra volans.

Seria sic ludis miscentur: tristia latis:

Et mors Magnatum gressibus instat hians:

Ille gradum sistat: perstent ambo ut LUDOVICI,

Hassiaca pile, & grandia Fulcra, Domus.

Levavit tamen statim jacturam hanc Filii adlectus novus in Familia Gener, *Serenissimus Princeps, HENRICUS Dux Saxonie, Fuliaci, Clivia, & Montium*, qui eodem anno fidem Conjugii, quam Soror *Serenissima Princeps, ELISABETHA DOROTHEA* experiebatur in Affine Principe hoc *LUDOVICO VI. Landgravio*, addixit, & reddidit in vicem quasi, Filia hujus *Serenissima Principi, MARIÆ ELISABETHÆ, Hassia Landgravie*. Sic toties *Saxonicus, & Hassiacus* Sanguis amavit conjungi, & uterque ad fontem suum recurrit. Sed, ut sunt rerum humanarum vices, & varii adeò casus, auctus hinc Genero *LUDOVICUS*, mox alio, vertente cum anno fortuna, orbatur, morte *Serenissimi Principis, WILHELMI LUDOVICI, Wirtembergia Ducis*, quem mœstus Socer deflevit haud vulgariter, illique exequias ex *Hassia* ivit: miseratus tam maturum obitum, & ex illo orbitatem *Serenissima Principis* Filia, cheu! nimis cito Vidua, *MAGDALENÆ SIBYLLÆ* & ex hac Nepotum Orphanorum: Ipse jam, quis putasset, suo instans fato, & tumulto, atque flendus mox ab iisdem quoque, & dolendus. Sed priusquam extrema hujus Oratione prosequar, Virtutes, quibus in omni vita eluxit, quæque illum nec in morte deseruerunt, & quæ tumbæ illius inscriptæ leguntur, continuabo breviter, & absolvam. Fuit autem in illo Corona quædam, & benè contexta series Virtutum, quales Principem Christianum ornant, ac decent, jam in prima ætate cœpta, & deinde

com.

completa. Novimus qualiter *Justus Sinolt*, dictus *Schiütz*, *filius*, & *Cancellarius Hastiacus*, in Præfatione magni operis, *de Statu Rei Romanae*, LUDOVICUM hunc *Landgravium*, Principem adhuc Decennem, ab his jam nominibus publicè commendaverit: quibus verbis efflorescentem quandam in tenera illa ætate Pietatis, & Prudentiæ indolem maximam, inter cœlestis genii & ingenii decora, & ornamenta (quibus Patriæ exoriens omnium oculos in se converterat, & perstrinxerat,) coluerit, & suspexerit: sive id inde factum putemus, quòd Princeps ille à teneris annis traditus fuerit manu- ductioni, & institutioni Virorum, Nobilitatis, & omnium virtutum genere, ac eruditione præstantissimorum: sive quòd Is naturâ, & divino ingenio innatum hoc habue- rit: sive quòd vivo Parentis GEORGII exemplo mo- tus fuerit. Quicquid autem horum sit, teste eodem, Encomiaste haud ex infimis, LUDOVICUS in illa ætate maturè in omni disciplinarum genere ea exhibuit, quæ alii Viri facti præstare non potuerunt, quæque eun- dem omnibus notissimum, & admirabilem reddide- runt. Quòd si talis tantusque fuit LUDOVICUS Princeps Adolescens, qualem putatis, *Auditores*, fuisse Juvenem, quantumque Virum? Nec fefellit sanè ma- gna tunc spes omnes, qui veræ virtutis sensu commoti. Venit enim dies, quo illa abundantis ingenii flumina (ut cum *Schiützio* loquar) in optimarum artium campum excurrerunt, & ea quæ egregiè inchoata, & exspecta- tionem aliquam majorem excitarunt, in lucem ac splen- dorem Reipublicæ nostræ *Romanae*, & in partibus Prin- cipi huic concreditæ eam administrandi, prolata sunt. Etenim nihil à *Celsitudine* hujus, nisi maximè Regium, & generosum, patratum, cum à Maximis *Cæsaribus*, Poten- tissimis *Regibus*, ac *Principibus* laudatissimis, longo or- dine, ac longa Seculorum serie descenderit. Hic luci- dissima illa Virtutum Heroicarum specula, quæ in Gen-

H

tili

tili *Serenissima Hassorum* Domo cordatissimos *Hectores*, fortissimos *Achilles*, prudentissimos *Catones*, piissimos *Josias*, fidissimos, & justissimos *Aristides* referebant, inspexit quotidie: Hic Magnum illum PHILIPPUM, Religionis purioris, & Libertatis Patriæ Assertorem constantissimum contemplatus: Hic in GEORGIUM Piissimum, & LUDOVICUM, DEO, & *Imperatori* Fidelem: Hic in Patrem GEORGIUM Prudentissimum oculos conjiciens, Hæres & genuinus Successor horum, non tantum Virtutum Avitarum splendore coruscavit, sed & propriarum radios sparfit, per præclara facta, domi & foris. Prima autem in his, ut supra dixi, fuit *Pietas*, altè radicata, & insita: qualis in Parente quoq; GEORGIO II. qualis in Proavo GEORGIO *Pio*, & reliquis Avis, atque Majoribus fuit: ad quorum exemplum laudatissimum Successor hic studia sacra à teneris unguiculis impensè amavit, illisq; ante alia operam dedit. Veram Religionem, & Orthodoxam Fidem, ac Doctrinam Evangelicam constanter asseruit, & in Ditionibus suis sincerè propagavit, benignus Tutor, & Nutritius Ecclesiæ: Deum non cognovit tantum, sed & devotè, atque ardentè coluit, & adoravit; flexis etiam genibus procumbens, & ita preces ad hunc è terra in cælum quotidie emittens. Cæterum securus Fati, patiebatur in his Seculi, & Bellorum malis, quod emendare haud poterat: & Deum, quo auctore cuncta eveniunt, sine murmure comitabatur; malum militem esse ducens, qui Imperatorem suum gemens sequitur. Symboli loco usus: *Quo me Fata trahunt*. Unde conscientia bona, teste haud fallaci, in solatium gaudebat: maluitque esse; quàm videri probus; à se sibi laudem sumens, interna veraque virtute, non specie inanium validus: opum & luxus contemptor: recti pervicax, constans adversus metum. Jam quanta in illo *Prudentia*, & *Sagacitas* fuit; qua præsentia ordinabat, futura providebat, præterita recordabatur: honesta à deterioribus,

ribus, utilia à noxiis discernebat: ad quæ non defuit illi cum natura ingenium, & iudicium: non disciplina, institutio, & doctrina: non denique experientia, & usus. Adfuit juxta hæc *Perseverantia*, qua & initio, & fine Principatus, bonus fuit; non mutatus à fortuna, sed semper idem: omnia ad salutem publicam, & beatitudinem civium dirigens, Pastor horum vigilans, & verus *Patriæ Pater*. Fuit autem in illo non mutuatitia tantum, sed & propria Prudentia, cui, quod opus fuit, ipsi in mentem venit: qui non à Consiliariis tantum, & ministris pendebat, sed ipse consulebat, quod in rem fuit, & Principis sæpe, & multorum Consiliariorum vices ipse sustinens, & tam multa variaque negotia, hoc præsertim tam turbido Belli tempore, solus expediens: Sciens tamen juxta, Principem sua scientia non posse cuncta complecti, nec unius mentem esse tantæ molis capacem, adsumpsit quoque, ubi opus, in partem curarum alios: certus, magna negotia magnis adiutoribus egere: gravissimosque Principis labores indigere adminiculis: & superbum, magis, quàm sapientem iudicandum, qui de sua unius sententia omnia gerit. Jam quid dicam de *Iustitia* huius Principis, qui eam æquabiliter, & temperanter omnibus administravit? sine odii, aut gratiæ adspectu, ex legum præscripto: Sciens, hoc primum Principis munus: eumque hac causa creatum maximè, ut jus reddat, & suum cuique servet. *Clementiam* autem adhuc loquuntur, & lugent cives, quique circa illum fuerunt, erga quos exercuit hanc largiter, sibi que exinde gratiam, & gloriam singularem apud omnes peperit. Nec alienus fuit à *Fide*, quam sanctè in Republica coluit: nec peregrinus à *Modestia* (rara in Aulis, & apud magnos) Regno, & omnia regni, vana, incerta, & ruinæ præcipiti obnoxia reputans. In sermone præterea gravis: in cultu, & alia circumfusa specie, modicus, & dignitatem tamen servans. Erga Coniuges, & Liberos fidus: candore in omnes

mnes verè *Germanus*: erga alios beneficus: iræ parcus: famæ non negligens. Doctrinæ non amantissimus tantum, sed & valde intelligens: gnarus literarum studia suo æstimare pretio, & cupiens ubique hæc promovere: præsertim in sede horum nobilissima *Giessensi* Academia, quam omni opera auxit, & florenem, reddidit à suo non minus, quàm Avi nomine LUDOVICIANAM: quod testari mecum potes, illius quondam, nunc hujus EBERHARDINÆ Academiae pars haud postrema, *Georgi Balthasar Mezgere: Medicina Doctor & Professor.*

His Virtutibus ergo LUDOVICUS eam sibi paravit Benevolentiam, & Authoritatem, à qua eidem quies, & firmitas Principatus: quam & cæteris moribus, Lenitate in primis, mixta Severitate, & Constantia, legumque observatione, opibus item, & armis, consiliis, fœderibus, & fortuna, nec non & Providentia acquisivit. Ubi autem manus, & fortitudo non sufficiebant, mente usus est: præsertim hoc difficili rerum statu, quo sæpe obliqua gubernatione opus ei, qui in portum utcunque Reipublicæ navem dirigere, ac perducere cupit. Sed attigit hunc aliter securus ipse *Landgravius*, ex undoso & procelloso hoc Mundi Euripo, superatis & evitatis tot syrtibus, & scopulis Seculi hujus Calamitatum, ad tranquilla Cœli limina eVectus. Mensis erat hujus anni, ad finem properantis, quartus *Aprilis*, quo Princeps ille, omnibus animi corporisque viribus integer, & valens, subito morbo, lecto affixus concidit. Salutaverat illum paulo ante proximus Affinis, & Cognatus, *Serenissimus Princeps PHILIPPUS WILHELMUS, Comes Palatinus Rheni*, qui per Filiam *Serenissimam Principem ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM, Imperatricem Augustam*, ex Coniuge *Serenissima Principe ELISABETHA AMALIA, Hassia Landgravia*, natam, *Palati-*

no *Habsiacum* Sanguinem *Imperatori Cesari Inuictissimo* LEOPOLDO felicissimè maritavit, *Austriacæq;* Domui inferuit, atque in hac tot Sceptra, ac Coronis devinxit; felix jam Avus JOSEPHI JACOBI, Augustæ Sobolis, & magni Nepotis, quem tot Regna, & Provinciæ, quemque tota *Germania* communibus gaudiis natum nuper excepit, *Habsiaco* quoque Sanguini adscribendum. Hoc cum magni animi & prudentiæ Principe *Palatino* ultimam colens amicitiam *Landgravius*, lætusque supremum præsentia tanti Hospitis, statim post ejusdem abitum æger decumbit, & subita morte, sed haud imparatus, deprehenditur; quippe quam Ille diu ante prævererat, & jam duodecim annis abhinc Sarcophagum sibi struens, quotidieque hunc in cubiculo ante oculos habens, animo mortem semper cogitabat, & sedulus meditabatur; simulachra quoque hujus, & involucra, tum alia, tum habitum, & vestitum pullum, quo indui mortuus voluit, simplicem ac tenuem, ad exemplum MAXIMILIANI I. Imp. gloriosissimi, ubique secum circumferens, domi & foris. Sic excubans, & vigil, mortemque occupans, post brevem quadridui morbum solutus ab hac magis, quam correptus fuit *Darmstadij*, die xxvi. *Aprilis*, inter horam undecimam & duodecimam meridianam, piè placidèque in Salvatore CHRISTO obdormiens; cum vixisset annos XLVIII. menses III. diem unum: regnasset annos XVII. Corpus Defuncti, ut mandaverat ipse vivus, statim post excessum, sine pompa, noctu, Majorum Monumentis illatum est: ubi lætam in novissimo die Judicii resurrectionem præstolatur. Sed state mecum parumper, *Auditores*, ad Sarcophagum LUDOVICI, qualem vix ullum Mausolæum, aut tumba sub terram recepit: legite, & perpendite Inscriptiones, Titulos, & Emblemata, quæ ipse fecit ac invenit: & qualis in hoc Princeps conditus, amplius æstimate. Apparent supra

Insignia Gentis: & infra hæc, inscriptæ duæ Tabulæ Divinæ Legis, cum hoc lemmate: PECCAVI: Adstat in medio Imago CHRISTI, in cruce pendentis, cum hac Inscriptione: SPERAVI. Hinc Calvaria cum spicis, & epigraphe: SUPERAVI: post hæc Corona, cum Symbolo: IMPETRAVI. Inferius sequuntur Nomina Titulique Principis, cum numeris annorum vitæ, & regiminis, addito hoc dicto *Jobi*: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea.* Ad latus utrumque stant, cum selectis ex Sacra Scriptura Verbi Divini dictis, nomina Virtutum, & Disciplinarum, quas vivus coluit *Landgravius*, & per quas mortuus etiamnum vivit: ad dextram quidem: PIETAS. FIDES. SPES. CHARITAS. JUSTITIA. PRUDENTIA. SAPIENTIA. CONSTANTIA. Ad sinistram: VERITAS. TEMPERANTIA. PATIENTIA. FORTITUDO. ASTRONOMIA. GEOMETRIA. ARITHMETICA. MUSICA. Ad caput & pedes notantur versus, quos Ipse composuit: & quibus loquentem supremum ex tumba audite:

Ich habe/ biß ich hab/ hier meine Zeit vollbracht:
 Gar viel und offtermal an meinen Tod gedacht.
 Drumb ich bey Lebens Zeit/ ehe mich der Tod gefällt/
 Mir meine Todes-Kuß/ auch selber hab bestellte.
 Hierinnen soll der Leib/ als in der Todten Grufft/
 Sanfft ruhen/ biß ihn selbst sein Iesus wider rufft.
 Da Er dann Freudenvoll/ mit Klarheit schön geziert/
 Mit seiner Seel vereint/ dort ewig leben wird.
 Was du nur immer thust in deinem ganken Leben/
 Da lasse dir dein End vor Augen stetig schweben:
 Das wirdt vor Sünden dich bewahren jederzeit/
 Vnd zu der Todes-Stund auch machen ganz bereit:
 Dann nur an diesem Punet ligt alles was du thust:
 Woll dir/ bisiu bereit/ wann du nun sterben must.

Quos

Quos versus Latino Carmine sic reddere libuit:

*Vixi, & quem dederat cursum Natura peregi,
Sape memor mortis, vitæque extrema revolvens:
Qua gaudens, & adhuc vegetus florentibus annis,
Sarcophagum struxi, morientis qui tegat ossa.
Hoc placidè mortis loculo corpus requiescat:
Ille meus donec voce hoc exsuscitat alta
FESVS: letitia quod tunc, & luce corusca
Plenum, illic anima sociatum in secula vivet.
Ergò quicquid agis, mortales dum geris artus,
Ante oculos finem, & semper meditare suprema.
Sic expers sceleris vives, & criminis insons,
Atque paratus eris, mortis cum venerit hora:
Namque hoc momento pendet quod feceris omne:
Felix, si promptus, cum mors vocat, ire sub umbras.*

Quiesce igitur *Dive Princeps LUDOVICE*, qui securus malorum Seculi, & mortalis ævi, prius veram pacem & tranquillitatem adeptus quàm posteri, spe adhuc metuq; in terris luctantes. Cape nunc Pietatis: cape reliquarum Virtutum præmia, & coronam immarcescibilem: Triumpha, magna & beata anima in cœlis, cum Divo Genero *WILHELMO LUDOVICO*, & omnibus, ex tua quoq; Gente, Sanctis, ante faciem adorandæ *TRINITATIS*: & jam divinas hujus laudes alio ore, moduloq; psalle, in Beatorum cœtu, cui immixtus lætus incedis. Maneant interea, uti manebunt etiam, in terris meritorum tuorum, Famæque, & Gloriæ nunquam interituræ monumenta. Suscipe nunc in Æternitate, quem ante hos viginti annos genuisti in tempore: quem egregia indole, domi & foris, etiam per *Italicarum* experimenta Peregrinationum, educaisti in virtute: quem rebus maximis pari spe, & expectatione admovisti in Regimine, Filium Successorem *LUDOVICUM VII.* quem terris tantum fata ostendebant, nec ultra esse sinebant: quo nullus *Hassia Landgraviorum* quidem brevius rexit; sed qui fortunæ ereptus, ne

quid huic in illum liceret, reddi mox Cœlo debuit, ut in hoc etiam Parenti similis melius sic Tecum imperaret. Hic ille jam cœlestis Agni Nuptias lætior agit, & pro *Rutaceo* Serto, immarcescibilem æternæ gloriæ coronam accipit. Sic securus ille ex *Fridensteinia* Arce ad superas pacis sedes, nullius iræ, nullius turbæ, concias, euectus est: quas nec, infelix quidem, & mœstissima in terris Sponsa, *Serenissima Princeps WILHELMINA SIBYLLA, Dux Saxonie*, invidebit. Quæ bis jam quidem, & *Saxonie*, in *FRIDERICO WILHELMO*, Agnato Duce, & *Hasiacis* nunc, frustrata Nuptiis, cum gaudia & amores suos soli DEO castissima, & illibata Princeps Virgo dicavit, in cœlis hos inveniet: & sic etiam ibi, remotis terræ vinculis, cum *Serenissimis Sponsis* vivet, atque in amplexibus hærebit. Stet juncta interea cum *Saxonia*, & *Wirtembergia*, *Serenissima Domus Hasiaca*, solatio in adversis erecta: Vigeat illa posthac, & erecta floribus *Cornua* longè latèque extendat, copiaque impleat. Evolet ipsa, surgatque in altum, *Austriacarum* quoque nixa remigio *Alarum*, & *Aquilarum*: Nulla hæc amplius insigniatur *Cruce*: Fulgeat inter *Serenissimas*, & *Regnatrices Germania* Principum Familias, instar *Stelle* rutilantis: Ostendat Orbi *Leones* suos, horumque fortitudinem, & animos conservet perpetim. Quales Tu jam quidem adolescens ostendis, & exeris, *Serenissime Princeps ERNESTE LUDOVICE, Landgravi Hasie*, quem Successorem *Serenissimi Principis Fratris LUDOVICI VII.* singularibus auguriis, & omnibus Fata prædixerunt. Neque enim agitato jam morte ille *Frater Tuus* quiescere ante potuit, quàm *Isinisdem Gothana* Arcis vestigiis, & eâdem humo animam exhalaret, quæ primùm Te ante undecim annos nascentem, & de Matre cadentem excepit. Sic mirabili casu Tuus quoque Successor dici potest *Frater Senior*, qui ita in nativitate Tua acquievit, & finiit. Tu jam fulgidissima

lima

sima illa stella, quæ parturienti *Serenissima Matri, Principi Regenti, ELISABETHÆ DOROTHEÆ*, supra *Gotthanam* Arcem stans in somniis apparuit, cujus instar radus tuis terras jam illustras, & illustrabis posthac, serenum *Hassia, & Saxoniam* Sidus. Tua etiam olim magnitudo iisdem jam signis prænuntiata est, quibus olim *Cyri, Persarum Regis*. Tu enim illa Vitis, quæ *Serenissima Matri* ex Te gravidæ, in quiete visa obumbrare *Darmstadiū*. Tu inde lætos & robustos Gentis tuæ, & Virtutis longè latèque extends palmites, quibus *Hassia* ad Cælum surget, perque Orbem Tecum disseminabitur; sub quibus & cives tui tuti tectique habitabunt, & umbras captabunt. Sic ergo cresce sub Tutela *Serenissima Principis Matris*, & validam manum hostibus quondam tremendam indies fortior exere: imprimis autem pietatem Avi ERNESTI *Saxonis*, & Patris LUDOVICI, cum robore & magnanimitate PHILIPPI *Magnanimi*, Atavi, felix ac longævus conjunge. At quibus jam verbis sub finem hujus Orationis Te alloquar, *Serenissima Princeps MAGDALENA SIBYLLA, Dux Vidua Wirtembergia, & Teccia*, Nata *Landgravia Hassia, Princeps ac Domina Clementissima*: Quo sermone Orbitatem tuam, qua Oratione luctum & mœrorem exprimam? Quæ solatia *Serenissima Celsitudini Tuæ, Illustris* hujus Collegij nomine, dicam, & voveam? Tu, *Serenissima Princeps*, cum vix tria vitæ lustra egisses, *Serenissimam Principem Matrem MARIAM ELISABETHAM* morte sublatam luxisti: & hinc Patriam linquens, inque *Suecia* procul, sub frigido Axe, apud *Serenissimam Principem Reginam Viduam Materteram*, octennium agens, hujus quidem, instar *Matris*, amore ac igne fota, & Conjux inde petita es *Serenissimo Principi, WILHELMO LUDOVICO Wirtembergia Ducis*, dilecta quidem, & felix: si modo longior. Quàm triste enim hoc, quàm durum! cœptum paulo ante amorem, & in suo robore adhuc recentem, ac novellum

vellum tam citò abrumpere, & morti relinquere. O acerbam conjunctissimorum animorum, & corporum, solutionem: ô lugendum fortunæ prioris divortium: ferendum tamen adhuc, si huic Princeps Parens fidelis, ac dilectus, unicum in adversis post DEUM solatium, Spes sola, & refugium Orbitatis, diutius superfuisset. Sed & hoc ipso, post charissimum Principem Maritum, decimo statim mense extincto, experta sanè es, *Domina Clementissima*, jacturam haud simplicem: quarum una cum altera gravitate certat: dolorem, cui superando natura bis fatigata: luctum, qui haud brevem fert ætatem, & cui solando vix par, multiplex & varia, Oratorum facundia. Dolet propterea maximè Sortem, & Orbitatem, hanc, *Illustre Collegium*, & in illo *Serenissimus Dux LUDOVIGUS*: fert illam graviter tota *Wirtembergia*, Principi Matri suæ devota: sed & solatia juxta, quæ possunt, sed levamenta malorum, & meliora, uno omnes ore, ac pectore apprecantur. Quidnam autem est, quod mitigando huic damno, & luctui, vel de Divina Voluntate, & Providentia, quæ vulnerat, & sanat, quæque erga Viduas imprimis, & Orphanos Paterna in Sacris audit: vel de lege Universi, qua nemo excipitur: vel de Salute piè morientium, & felicissima mortalitatis cum æternitate commutatione: vel de futura in Coelis post resurrectionem Beatorum unione: vel de aliis Solatiorum locis, & argumentis dici queat; quod non ante satis *Serenissima Celsitudini Tuæ, Domina Clementissima*, & notum optimè, & benè admissum animo sit? Ita enim à *Serenissimo*, quem luges, *Principe Parente*, nata, & educata es: ita ipsa adsueta, & à Te formata, ut utramque fortunam fetas æqua mente, & moderatè: nec secunda nimis elata: nec adversa suppressa. Pete igitur, *Virtuosissima Princeps*, à Te Ipsa, pete à moribus, & virtutibus Tuis, horum remedia malorum: quæ nec DEUS ipse denegabit rogatus. Vidimus, & admirati omnes sumus, qua


Pietate

Pietate, & patientia : qua *Constantia* verè *Hassiaca*, id est *Heroica*, obitum dilectissimi Principis Mariti WILHELMII LUDOVICI, ad exemplum prorsus tuleris: non deseret itaque *Celsitudinem Tuam* par animus, & virtus in toleranda morte amantissimi Principis Parentis, quem & Ipsa aliàs imitari cupis. Perfer, & obdura, *Princeps Serenissima*: non si malè nunc, & olim sic erit. Surgat iterum, fugatis tenebris, Sol Oriens lætitiæ, & mœstam radis suis fovebit. Servet interea, quod precamur, DEUS in pace, & longa ætate *Serenissimam Celsitudinem Tuam*, cum *Serenissima Domo Hassiaca*, & *Wirtembergica*: inque hac imprimis Tuis pariter, & Patriæ rebus, florentem vegetet, charissimum *Excelsæ Sobolis Quaternionem*. Ex quo Te nunc imprimis alloquor, qui statim ac in lucem natus, & sæpius huc usque dictus es, ac postea amplius diceris *Illustri Collegio* huic, *Serenissime Princeps*, EBERHARDE LUDOVICE, *Dux Wirtembergia, & Teccia, Princeps ac Domine Clementissime*: qui quanquam loquentem iterum ad Te ex hac Cathedra nec audias, nec adhuc per ætatem intelligas, post Parentis tamen WILHELMII LUDOVICI, nunc Avi quoque defuncti LUDOVICI tristem memoriam, vix sensibus olim Tuis cognoscibilem, & sermone propterea, ac literis magis commendandam, ad Te fero. Accipies etiam hanc quondam, ab *Illustri Collegio* hoc narratam, & scriptam, & legere cupies, ac scire, & sic traditam perdisces, & admiraberis, & imitari maturè studebis, quicquid in hac Virtutis, quicquid laudis, & immortalis gloriæ continetur. Et valebit hæc fortiter in exemplum, & excitabit, & stimulos dabit: sed non sola tantùm: verùm & Patris WILHELMII LUDOVICI, & Avi EBERHARDI, *Wirtembergiæ Ducum*, & qui reliqui fuerunt Majores: quorum ut Genus, & Sanguinem, & Nomina, & Fortunam duxisti: ita fac quoque venientibus annis, ut istorum reliqua, quæ

fecerunt, in Te quoque prædicentur. Interea cresce votis nostris, *Princeps Trimule*, nullo posthac fatorum insultu, nullo luctu tremule, sub *Tutela Serenissima Principis Matris, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, & Serenissimi Principis Patru, FRIDERICI CAROLI*. Vive ad DEI Gloriam, in his Terris Tecum propagandam, ad Parentum, & Avorum Decora explenda: in solatium mœstæ Principis Matris sublevandum: in Spem Patriæ denique, & expectationem Seculi augendam. Faxit DEUS, *Princeps Tenelle, Corculum, & Delicium Juventutis Wirtembergica*, ut qui inter arma, & Patriæ tremorem natus, interque luctus Parentis, & Avi, primos flevisi, & duxisti annos, ad aureæ mox Pacis, cœlitus exorandæ, blandimenta rideas, frontemque exporrigas, & omne sequentis longissimæ ætatis tempus inter prospera fata felicissimè trahas. Sic *Dilectissima Principi Matri* nova semper gaudia: toti *Serenissima Domui* læta incrementa: *Illustri Collegio* huic Adolescens quondam, excelsa studia: *Wirtembergia* huic Paternum, & Avitum Regimen: universo Orbi Elogium Tuum inferas. Sic vivat Tecum & valeat, meta quoque Votorum nostrorum, *Serenissimus Princeps Patruus, Dux FRIDERICUS CAROLUS*, qui feliciter Remp. administret: & verè mox FRIDERICUS, pacis opes terris his indulgeat. Vive Tu quoque *Serenissime Dux LUDOVICE*, cum *Serenissima Principe Matre, MARIA DOROTHEA SOPHIA, & Serenissimis Principibus Fratribus, ac Sororibus*, totaque *Serenissima Domo Wirtembergica*. Sit denique huic, sit toti *Germania, & Europa*, idem & Anni hujus, & Bellorum

Finis.

D I X I.



43 18

30. -


6925
cat.

6. Okt 1966 F.

151 of

Oswald Weigel
Leipzig, Königstr. 1

30. -



Der muntre, tapfre Prinz, ein Feind von langen Hoffen,
Des Liebe Meer und Land zeithero unterbrach,
Freut sich, daß nun sein Wunsch in so weit eingetroffen,
Daß nach der langen Nacht sich zeigt der güldne Tag;
Da Er, was der Geist umfassen
Mit so brünstigen Verlangen,
Dessen Feuer, dessen Gluth
Dämpfft kein Meer, löscht keine Fluth,
Endlich in die Arme fasset, als ein unschätzbares Guth.

So groß mein Hoffen war, spricht Er, wars doch zu wenig,
Wenn Ich, den hohen Schatz damit vergleichen soll,
Den Mir der weise Fürst, der Britten grosser König,
Jetzt sendet zum Gewinn, und meiner Liebe Zoll:

Was vor Danck soll ich Ihm geben?

Wie soll Ich verbunden leben?

Carolina, Deinem Geist

Wird kein Opfer, wie es heist,

t nach Würden angezündet, wenns auch Gold und Weyrauch
speist.

Laffen, meinem Volck, und der Cherusker Sprossen,
dunt dieses Glückes Strahl den allerschönsten Tag;
Wenn der Himmel sonst der Pallas Bild gegossen,
Id es noch Troja schenckt, da nie kein Wohl gebracht;
Diß Palladium soll Hessen
Chren, und niemahl vergessen,
Daß es ein Geschenk sey,
Daß der grösten Lieb und Treu
würdig, denn es bringet dir die güldne Zeit herben.

Musen, welche sich am Leine Fluß ergötzen,
enn sich ihr stiller Geist ins Alterthum vergräbt,
nen sich dieß Band zu jenem hinzusetzen,

Heinrich recht vergnügt mit Adelheid gelebt,

Da das Glück auf güldnen Wagen

Hessen damahls hat getragen;

Da ist Cassels Friederich

liebt Mariam inniglich,

sein Hoff ein solches Eden, und sein Land ein Seegens-Strich.

